

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L

quis hereditatem restituere, idem juris est. Quae autem diximus de eo qui ex asse heres institutus est, eadem transferemus et ad eum qui ex parte heres scriptus est. — § 10. Praeterea intestatus quoque moriturus potest rogare eum, ad quem bona sua vel legitimo jure vel honorario pertinere intelligit, ut hereditatem suam totam partemve ejus, aut rem aliquam, veluti fundum; hominem, pecuniam, alicui restituat; cum aliquo legata, nisi ex testamento, non valeant.

§ 11. Eam quoque cui aliquid restituitur, potest rogare ut id rursum alii, aut totum aut pro parte, vel etiam aliquid aliud restituat. — § 12. Et quia prima fideicommissorum canabula a fide heredum pendent, et tam nomen quam substantiam acceperunt, et ideo divus Augustus ad necessitatem juris ea detraxit; nuper et nos eundem principem superare contententes, ex facto quod Tribonianus vir excelsus, quaestor sacri palatii, suggestit, constitutionem fecimus per quam disposuimus: si testator fidei heredis sui commissit ut vel hereditatem vel speciale fideicommissum restituat, et neque ex scriptura neque ex quinque testium numero, qui in fideicommissis legitimus esse noscitur, possit res manifestari, sed vel pauciores quam quinque vel nemo penitus testis intervenerit; tunc sive pater heredis sive alius quicumque sit qui fidem heredis elegerit, et ab eo restitui aliquid voluerit, si heres perfidia tentus adimplere fidem recusat negando rem ita esse subsecutam, si fideicommissarius jusjurandum ei detulerit, cum prius ipse de calumnia juraverit, necesse eum habere vel jusjurandum subire quod nihil tale a testatore audivit, vel recusantem ab fideicommissi vel universitatis vel specialis solutionem coartari, ne pereat ultima voluntas testatoris fidei heredis commissa. Eadem observari censuimus, et si a legatario vel fideicommissario aliquid similiter relictum sit. Quod si is a quo relictum dicitur, conlitateur quidem a se aliquid relictum esse, sed ad legis subtilitatem decurrat, omnimodo solvere cogendus est.

TIT. XXIV.

DE SINGULIS REBUS PER FIDEICOMMISSUM RELICTIS.

Potest autem quis etiam singulas res per fideicommissum relinquere, veluti fundum, hominem, vestem, auram, argentum, pecuniam numeratam; et vel ipsum heredem rogare ut alicui restituat, vel legatarium, quamvis a legatario legari non possit.

§ 1. Potest autem non solum proprias res testator per fideicommissum relinquere, sed heredis aut legatarii aut fideicommissarii aut cujuslibet alterius. Itaque et legatarius et fideicommissarius non solum de ea re rogari potest, ut eam alicui restituat, quae ei relicta sit; sed etiam de alia, sive ipsius sive aliena sit. Hoc solum observandum est, ne plus quisquam rogetur alicui restituere, quam ipse ex testamento cepit; nam quod amplius est, inutiliter relinquitur. Cum autem aliena res per fideicommissum relinquitur, necesse est ei qui rogatus est, aut ipsam redimere et prestare, aut aestimationem ejus solvere. — § 2. Libertas quoque servo per fideicommissum dari potest, ut heres eum rogetur manumittere, vel legatarius vel fideicommissarius. Nec interest utrum de suo proprio servo testator roget, an de eo qui ipsius heredis aut legatarii, vel etiam extranei sit. Itaque et alienus servus redimi et manumitti debet. Quod si dominus eum non vendat, si modo nihil ex judicio ejus qui reliquit libertatem, recepit: non statim extinguitur fideicommissaria libertas, sed differtur; quia possit tempore procedente, ubicumque occasio servi redimendi fuerit, prestari libertas. Qui autem ex fideicommissi causa manumittitur, non testatoris fit libertus, etiamsi testatoris servus sit, sed ejus qui manumittit. At is qui directo testamento liber esse jubetur, ipsius testatoris libertus fit, qui etiam *ONCIVUS* appellatur. Nec alius ullus directo ex testamento libertatem habere potest, quam qui alio tempore testatoris fuerit, et quo faceret testamentum, et quo moreretur. Directo autem libertas tunc dari videtur, cum non ab alio servum manumitti rogat, sed velut ex suo testamento libertatem ei competere vult. — § 3. Verba autem fideicommissorum haec maxime in usu habentur: *peto, rogo, volo, mando, fi-*

32. L. 1. § 5. L. 78. in pr. D. L. 5. C. h. t. L. 15. D. de inoffic. testam. L. 114. § 2. D. de legat. 1. L. ult. § 2. D. de legat. 2. L. 4. C. de codicill. § 1. infr. de codicill. — 33. Inst. Gaii, II, 270, 271. — 34. L. ult. C. de fideic. — 35. L. ult. § ult. C. de codicill. — 36. L. 54. § 4. D. de jurjur.

TIT. XXIV. — 1. L. 5. § 1. D. de legat. 3. — 2. *Hodie potest.* v. L. 2. in fin. C. commun. de legat. Inst. Gaii, II, 260. — 3. L. 50. in pr. D. de legat. 2. — 4. L. 1. § 17. D. ad SC. Trebell. — 5. Inst. Gaii, II, 261, 262. — 6. L. 13. § 1. D. de fideicommissum. libert. — 7. L. 16. D. ibid. — 8. Inst. Gaii, II, 263, 264, 265. — 9. L. 5. § 4. D. de his que ut indign. — 10. Inst. Gaii, II, 264, 265. — 11. L. 55. D. de manum. testam. — 12. Inst. Gaii, II, 266, 267. — 13. L. 19. D. cod. — 14. L. 2. C. commun. de legat. adde L. 115. L. 118. D. de legat. 1.

dei tuae commito. Quas perinde singula firma sunt, atque si omnia in unum congesta essent.

TIT. XXV.

DE CODICILLIS.

Ante Augusti tempora constat codicillorum jus non fuisse; sed primus Lucius Lentulus (ex cujus persona etiam fideicommissa ceperunt) codicillos introduxit. Nam cum decederet in Africa, scripsit codicillos testamento confirmatos, quibus ab Augusto petit per fideicommissum ut faceret aliquid. Et cum divus Augustus voluntatem ejus impleret, deinceps reliqui ejus auctoritatem secuti fideicommissa praestabant, et filia Lentuli legata qua jure non debebat, solvit. Dicitur autem Augustus convocasse prudentes, inter quos Trebatium quoque, cujus tunc auctoritas maxima erat; et quaesisset an posset hoc recipi, nec absonans a juris ratione codicillorum usus esset; et Trebatium suasisse Augusto, quod diceret utilissimum et necessarium hoc visum esse propter magnas et longas peregrinationes quae apud veteres fuissent, ubi, si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post qua tempora, cum et Laeoe codicillos fecisset, jam nemini dubium erat quin codicilli jure optimo admitterentur.

§ 1. Non tantum autem testamento facto potest quis codicillos facere, sed intestato quis decedens fideicommittere codicillis potest. Sed cum ante testamentum factum codicilli facti erant, Papinianus ait non aliter vires habere, quam si speciali postea voluntate confirmantur. Sed divi Severus et Antoninus rescripserunt, ex iis codicillis qui testamentum praecedunt, posse fideicommissum peti, si appareat eum qui postea testamentum fecit, a voluntate quam codicillis expresserat, non recessisse. — § 2. Codicillis autem hereditas neque dari neque adimi potest, ne confundatur jus testamentorum et codicillorum; et ideo nec exhereditatio scribi. Directo autem hereditas codicillis neque dari neque adimi potest: nam per fideicommissum hereditas codicillis jure relinquitur. Nec conditionem heredi instituto codicillis adicere, neque substituere directo potest. — § 3. Codicillos autem etiam plures quis facere potest, et nullam solemnitatem ordinationis desiderant.

LIBER TERTIUS.

TIT. I.

DE HEREDITATIBUS QUAE AB INTESTATO DEFERUNTUR.

Intestatus decedit, qui ad omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit; aut id quod fecerat, ruptum irritumque factum est; aut nemo ex eo heres exstitit.

§ 1. Intestatorum autem hereditates ex lege duodecim tabularum primum ad suos heredes pertinent. — § 2. Sui autem heredes existimantur, ut et supra diximus, qui in potestate morientis fuerint: veluti filius filia, nepos neptisve ex filio, pronepos proneptisve ex nepote, ex filio nato prognatus prognatave. Nec interest utrum naturales sint liberi, an adoptivi. Quibus non numerari necesse est etiam eos qui ex legitimis quidem matrimoniis non sunt progenti, curius tamen civitatum dati, secundum divalium constitutionum quae super his positae sunt tenorem, heredum suorum jura nanciscuntur. Nec non eos quos nostrae complexae sunt constitutiones, per quas jussimus, si quis mulierem in suo contubernio copulaverit, non ab initio affectione maritali, eam tamen cum qua poterat habere conjugium; et ex ea liberos sustulerit; postea vero affectione procedente etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, et filios

File et L. 78. § 8. D. ad SC. Trebell. L. 28. § pen. D. de liberat. legat. L. 11. § 2. D. de legat. 3. L. 15. C. de fideic. libert. — 45. Inst. Gaii, II, 270.

TIT. XXV. — 1. Lib. 29. D. 7. Lib. 6. C. 36. — 2. L. 8. in pr. L. 16. D. de jure codicill. L. 4. C. h. t. — 3. Inst. Gaii, II, 270. — 4. L. 22. § 6. D. ad L. Cornel. de fals. — 5. L. 5. D. de jure codicill. — 6. L. pen. § 1. D. de condit. instit. L. 2. C. h. t. — 7. Inst. Gaii, II, 275. — 8. L. 6. in pr. D. de jure codicill. L. 7. C. h. t. — 9. L. 6. § 1. D. de jure codicill. L. 5. C. h. t. — 10. L. 6. § 1. D. de jure codicill. L. ult. § fin. C. h. t.

TIT. I. — 1. Lib. 38. D. 16. Lib. 6. C. 55. N. 118. — 2. § 1, 2, 3. supr. quibus modis testam. infirm. — 3. § 4, 5. supr. quibus modis testam. infirm. Auth. ex causa. C. de liber. pater. — 4. *Infirmitas* et L. 6. D. de legit. tut. — 5. § ult. supr. de nupt. — 6. L. 10. L. 11. C. de natural. liber. — 7. L. 5. C. de incest. et inult. nupt.

vel filias habuerit: non solum eos liberos qui post dotem editi sunt, justos et in potestate patris esse, sed etiam anteriores qui et iis qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis praestiterunt. Quod obtinere censuimus, et si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce fuerint subtracti. Ita demum tamen nepos neptisve, pronepos proneptisve, suorum heredum numero sunt, si praecedens persona desierit in potestate parentis esse, sive morte id acciderit, sive alia ratione, velut emancipatione. Nam si per id tempus quo quis moreretur, filius in potestate ejus sit, nepos ex eo suos heredes esse non potest. Idque in ceteris deinceps liberorum personis dictum intelligimus. Postumi quoque qui, si vivo parente nati essent, in potestate ejus futuri forent, sui heredes sunt. — § 3. Sui autem heredes etiam ignorantes fiunt; et licet furiosi sint, heredes possunt existere: quia quibus ex causis ignorantibus nobis acquiritur, ex his causis et furiosis acquiri potest, et statim morte parentis quasi continuatur dominium: et ideo nec tutoris auctoritate opus est pupillis, cum etiam ignorantibus acquiratur suis hereditas; nec curatoris consensu acquiratur furioso, sed ipso jure. — § 4. Interdum autem, licet in potestate parentis mortis tempore suos heredes non fuerit, tamen suos heredes parenti efficitur: veluti si ab hostibus reversus quis fuerit post mortem patris. Jus enim postliminii hoc facit. — § 5. Per contrarium evenit ut, licet quis in familia defuncti sit mortis tempore, tamen suos heredes non fiat: veluti si post mortem suam pater judicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria ejus damnata fuerit. Suum enim heredem habere non potest, cum fiscus ei succedit; sed potest dici ipso jure suum heredem esse, sed desinere. — § 6. Cum filius filiaeve, et ex altero filio nepos neptisve existunt, pariter ab hereditate avi vocantur; nec qui gradu proximior est, ulteriorem excludit. Aequum enim esse videtur nepotes neptisque in patris sui locum succedere. Pari ratione, et si nepos neptisve sit ex filio, et ex nepote pronepos proneptisve, simul vocantur. Et quia placuit nepotes neptisque, item pronepotes et proneptes in parentis sui locum succedere, conveniens esse visum est non in capita sed in stirpes hereditatem dividi: ut filius partem dimidiam hereditatis habeat, et ex altero filio duo pluresve nepotes alteram dimidiam. Item, si ex duobus filiis nepotes neptesve extant, ex altero unus forte aut duo, ex altero tres aut quatuor, ad unum aut duos dimidia pars pertineat, ad tres vel quatuor altera dimidia. — § 7. Cum autem queritur an quis suus heres existere possit, eo tempore quaerendum est quod certum est alicum sine testamento decessisse, quod accidit et destitutum testamento. Hac ratione, si filius exhereditatus fuerit et extraneus heres institutus est, et filio mortuo postea certum fuerit heredem institutum ex testamento non fieri heredem, aut quia noluit esse heres aut quia non potuit, nepos avo suus heres existet; quia quo tempore certum est intestatum decessisse patremfamilias, solus inventur nepos: et hoc certum est. — § 8. Et licet post mortem avi natus sit, tamen avo vivo conceptus, mortuo patre ejus, posteaque deserto avi testamento, suos heredes efficitur. Plane, si et conceptus et natus fuerit post mortem avi, mortuo patre suo, desertoque postea avi testamento, suos heredes non existit; quia nullo jure cognationis patrem sui patris tetigit. Sic nec ille est inter liberos avo, quem filius emancipatus adoptaverat. Hi autem, cum non sint quantum ad hereditatem liberi, neque bonorum possessionem petere possunt quasi proximi cognati. Haec de suis heredibus.

§ 9. Emancipati autem liberi, jure civili nihil juris habent: neque enim sui heredes sunt, quia in potestate parentis esse desierunt, neque ullo alio jure per legem duodecim tabularum vocantur. Sed praetor naturali aequitate motus dat eis bonorum possessionem unde liberi, perinde ac si in potestate parentis mortis fuissent; sive soli sint, sive cum suis heredibus concurrant. Itaque duobus liberis extantibus, emancipato et qui tempore mortis in potestate fuerit, sane quidem is qui in potestate fuerit, solus jure civili heres est; id est, solus suus heres est. Sed cum emancipatus beneficio praetoris in partem admittitur, evenit ut suis heres pro parte heres fiat. — § 10. At hi qui emancipati a parente in adoptionem se dederunt, non admittuntur ad bona naturalis patris quasi liberi: si modo, cum is moreretur, in adoptiva familia fuerint. Nam vivo eo emancipati ab adoptivo patre, perinde admittuntur ad bona naturalis patris, ac si emancipati ab ipso essent, nec unquam in adoptiva familia fuissent. Et convenienter, quod ad adop-

8. L. 5. in pr. D. si tabulae testam. nulle extab. — 9. Supr. quib. mod. jus patr. potest. — 10. *Adde* § 7. *infin.* *infr.* h. t. — 11. L. 5. § 2. D. de suis et legit. — 12. L. 54. in pr. D. de oblig. et act. — 13. L. 11. D. de liber. et postum. L. 8. C. de jure delib. — 14. L. 14. D. de suis et legit. L. 7. § 2. C. de curat. furios. *Adde tamen* L. 9. § 3. L. 11. D. 2. *supr.* de auct. tut. L. 7. § 3. C. de curat. furios. — 15. L. ult. D. L. 5. *in pr.* C. ad L. Juliam majest. — 16. L. 2. § 1. C. de suis et legit. — 17. § ult. *infr.* h. t. N. 118. c. 1. *adde* L. 2. § 7. D. de excus. — 18. Inst. Gaii, III, 7. § 8. — 19. L. ult. in fin. D. de condit. instit. — 20. L. 1. § 8. D. de suis et legit. — 21. L. 6. L. 7. D. cod. L. 6. in pr. D. de injust. rupt. irrit. — 22. L. 16. D. de adopt. — 23. Arg. L. 10. in pr. *vers.* cum enim. C. de adopt. *adde* § 11. *infr.* h. t. L. 15.

tivum patrem pertinet, extraneorum loco esse incipiunt. Post mortem vero naturalis patris emancipati ab adoptivo, et quantum ad hunc aequo extraneorum loco fiunt, et quantum ad naturalis parentis bona pertinet, nihilo magis liberorum gradum nanciscuntur. Quod ideo sic placuit, quia iniquum erat esse in potestate patris adoptivi, ad quos bona naturalis patris pertinerent, utrum ad liberos ejus, an ad agnatos.

§ 11. Minus ergo juris habent adoptivi quam naturales: namque naturales emancipati beneficio praetoris gradum liberorum retinent, licet jure civili perdunt; adoptivi vero emancipati, et jure civili perdunt gradum liberorum, et a praetore non adjuvantur: et recte. Naturalia enim jura civilis ratio perimere non potest; nec quia desinunt sui heredes esse, desinere possunt filii filiaeve aut nepotes neptesve esse. Adoptivi vero emancipati extraneorum loco incipiunt esse, quia jus nomenque filii filiaeve, quod per adoptionem consecuti sunt, alia civili ratione, id est emancipatione, deperdunt. — § 12. Eadem observantur et in ea bonorum possessione, quam contra tabulas testamenti parentis liberis praeteritis, id est, neque heredibus institutis neque ut oportet exhereditatis, praetor pollicetur. Nam eos quidem qui in potestate parentis mortis tempore fuerint, et emancipatos, vocat praetor ad eam bonorum possessionem: eos vero, qui in adoptiva familia fuerint per hoc tempus quo naturalis parens moreretur, repellit. Item adoptivos liberos emancipatos ab adoptivo patre, sicut ab intestato, ita longe minus contra tabulas testamenti ad bona ejus non admittit; quia desinunt numero liberorum esse. — § 13. Admonendi tamen sumus, eos qui in adoptiva familia sunt, qui post mortem naturalis parentis ab adoptivo patre emancipati fuerint, intestato parente naturali mortuo, licet ea parte edicti qua liberi ad bonorum possessionem vocantur, non admittantur, alia tamen parte vocari, id est, qua cognati defuncti vocantur. Ex qua parte ita admittuntur, si neque sui heredes liberi, neque emancipati obstant, neque agnatus quidem ullus interveniat. Neque enim praetor liberos vocat tam suos heredes quam emancipatos, deinde legitimos heredes, deinde proximos cognatos. — § 14. Sed ea omnia antiquitati quidem placuerunt, aliquam autem emendationem a nostra constitutione acceperunt, quam super his personis posuimus, quae a patribus suis naturalibus in adoptionem aliis dederit. Invenimus etenim nonnullos casus, in quibus filii et naturalium parentum successionem propter adoptionem amittebant, et adoptione facile per emancipationem soluta ad neutrius patris successionem vocabantur. Hoc solito magis corrigentes, constitutionem scripsimus per quam definitivum, quando parens naturalis filium suum adoptandum alii dederit, integra omnia jura ita servari atque si in patris naturalis potestate permansisset, nec penitus adoptio fuisset subsecuta: nisi in hoc tantummodo casu, ut possit ab intestato ad patris adoptivi venire successionem. Testamento autem ab eo facto, neque jure civili neque praetorio ex hereditate ejus aliquid persequi potest, neque contra tabulas bonorum possessione agnita, neque inofficiosi querela instituta; cum nec necessitas patri adoptivo imponitur vel heredem cum instituere vel exhereditatum facere, ut pote nullo vinculo naturali copulatum, neque si ex Sabiniano senatusconsulto ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nam et in hujusmodi casu, neque quarta ei servatur, nec ulla actio ad ejus persecutionem ei competit. Nostra autem constitutio exceptus est is, quem parens naturalis adoptandum susceperit. Utrouque enim jure tam naturali quam legitimo in hanc personam concurrente, pristina jura tali adoptioni servavimus, quemadmodum si paterfamilias se dederit adrogandum: quae specialiter et sigillatim ex praefatae constitutionis tenore possunt colligi.

§ 15. Item vetustas ex masculis progenitos plus diligens, solos nepotes qui ex virili sexu descendunt, ad suorum vocabat successionem, et jur adgnatorum eos anteponebat, nepotes autem qui ex filiaibus nati sunt, ei pronepotes ex neptibus cognatorum loco numerans, post adgnatorum lineam eos vocabat, tam in avi vel proavi materni, quam in aviae vel proaviae sive paternae sive maternae successionem. Divi autem principes non passi sunt talem contra naturam injuriam sine competentis emendatione relinquere: sed cum nepotis et pronepotis nomen commune est utrisque qui tam ex masculis quam ex feminis descendunt, ideo eundem gradum et ordinem successionis ei donaverunt. Sed ut amplius aliquid sit eis qui non solum naturae, sed etiam veteris juris suffragio muniantur, portionem nepotum vel neptum vel deinceps de quibus supra dixi-

§ 1. C. de legit. hered. — 24. Inst. Gaii III, 19. 26. — 25. L. 5. C. de condit. indeb. — 26. L. 4. D. si tab. testam. nulle extab. — 27. L. pen. § 2. C. de adopt. — 28. L. 5. C. de legit. hered. — 29. N. 118. c. 1. in fin. — 30. § ult. *supr.* de legit. agnat. tut. L. 8. D. de reg. jur. — 31. Inst. Gaii, I, 135. — 32. L. 1. § 1. D. de honor. possess. contra tab. — 33. L. pen. in pr. *ibid.* si enim post patris naturalis obitum, C. de adopt. — 34. L. 1. § 6. L. 3. § 2. D. de honor. possess. contra tab. — 35. L. 4. D. si tab. testam. nulle extab. — 36. L. 1. § 4. D. unde cognati; Inst. Gaii, III, 51. — 37. L. 1. in pr. D. quae ordo in possess. — 38. L. pen. C. de adopt. — 39. § 2. *supr.* de adopt. — 40. L. ult. in fin. C. de decur. — 41. L. 9. C. de suis et legit.

mus, paulo minendam esse existimaverunt; ut minus tertiam partem acciperent, quam mater eorum vel avia fuerat acceptura, vel pater eorum vel avus paternus sive maternus, quando femina mortua sit cuius de hereditate agitur: iisque, licet soli sint, ademptibus adgnatos minime vocabant. Et quemadmodum lex duodecim tabularum filio mortuo nepotes vel neptes, pronepotes vel proneptes in locum patris sui⁴² ad successionem avi vocat, ita et principalis dispositio, in locum matris suae vel aviae, eos cum jam designata partis tertiae deminutione vocat. — § 16. Sed nos, cum adhuc dubitatio manebat inter adgnatos et memoratos nepotes, quartam partem substantiae defuncti adgnatis sibi vindicantibus ex cuiusdam constitutionis auctoritate, memoratam quidem constitutionem a nostro codice segregavimus, neque inseri eam ex Theodosiano codice in eo concessimus. Nostra⁴³ autem constitutione promulgata, toti juri ejus derogatum est; et sanximus, talibus nepotibus ex filia vel pronepotibus ex nepte et deinceps superstitibus, adgnatos nullam par em mortui successionis sibi vindicare: ne hi qui ex transversa linea veniunt, potiores iis habeantur qui recto jure descendunt. Quam constitutionem nostram obtinere, secundum sui vigorem et tempora, et nunc sancimus: ita tamen ut, quemadmodum inter filios et nepotes ex filio antiquitas statuit⁴⁴ non in capita sed in stirpes dividi hereditatem, similiter nos inter filios et nepotes ex filia distributionem fieri jubemus, vel inter omnes nepotes et neptes et alia deinceps personas; ut utraque progenies matris suae vel patris, aviae vel avi portionem sine ulla deminutione consequatur; ut si forte unus vel duo ex una parte, ex altera tres aut quatuor extent, unus aut duo dimidiam, alteri tres aut quatuor alteram dimidiam hereditatis habeant.

TIT. II.

DE LEGITIMA¹ ADGNATORUM SUCCESSIONE.

Si nemo suus heres, vel eorum quos inter suos heredes praetor vel constitutiones vocant, extat, qui successionem quoquo modo amplectatur, tunc ex lege duodecim tabularum ad² adgnatum proximum pertinet hereditas³.
§ 1. Sunt autem⁴ adgnati, ut primo quoque libro tradidimus, cognati per virilis sexus personas cognatione conjuncti, quasi a patre cognati. Itaque eodem patre nati fratres, adgnati sibi sunt, qui et consanguinei vocantur⁵: nec requiritur an etiam eandem matrem habuerint. Item patruus fratris filio, et invicem is illi adgnatus est. Eodem numero sunt fratres patruales, id est, qui ex duobus fratribus procreati sunt⁶, qui etiam consobrini vocantur. Qua ratione etiam ad plures gradus adgnationis pervenire poterimus⁷. Itaque quoque qui post mortem patris nascuntur, jura consanguinitatis nanciscuntur. Non tamen omnibus simul adgnatis dat lex hereditatem; sed iis qui tunc proximior⁹ gradu sunt, cum certum esse coeperit aliquem intestatum decessisse¹⁰. — § 2. Per adoptionem¹¹ quoque adgnationis jus consistit: veluti inter filios naturales, et eos quos pater eorum adoptavit. Nec dubium est quin improprie consanguinei appellentur. Item, si quis ex ceteris adgnatis tuis, veluti frater aut patruus, aut denique is qui longiore gradu est, adoptaverit aliquem, adgnatos inter suos esse non dubitatur. — § 3. Ceterum inter masculos quidem adgnationis jure hereditas, etiam longissimo gradu¹², ultra citroque capitur. Quod ad feminas vero ita placebat, ut ipsae consanguinitatis jure tantum capiant hereditatem, si sorores sint; ulterius non capiant: masculi autem ad earum hereditates, etiam si longissimo gradu sint, admittantur. Qua de causa, fratris tui aut patris tui filiae, vel amita tuae hereditas ad te pertinet; tua vero ad illas non pertinebat¹³. Quod ideo ita constitutum erat, quia commodius videbatur ita jura constitui, ut plerumque hereditates ad masculos confluerent. Sed quia sane iniquum erat in universum eas quasi extraneas repelli, praetor eas ad bonorum possessionem admitti ex parte qua¹⁴ proximioris nomine bonorum possessionem pollicetur. Ex qua parte ita scilicet admittuntur, si neque adgnatus ullus, neque proximior cognatus interveniat¹⁵. Et haec quidem lex duodecim tabularum nullo modo introduxit; sed simplicitatem¹⁶ legibus amplexa, similis¹⁷ modo omnes adgnatos sive masculos sive feminas cujuscumque gradus, ad¹⁸ similitudinem suorum, invicem ad successionem vocabat. Media autem jurisprudentia, quae erat lege duodecim tabularum junior, imperiali autem dispositione anterior, subtilitate quadam excogitata praefatam differentiam inducebat, et pe-

42. L. 3. C. de suis et legit. — 43. L. ult. C. cod. — 44. § 6, supr. h. l.
Trr. II. — 4. Lib. 58, D. 16; lib. 26, C. 58, N. 118, c. 5. — 2. L. 1. 2. D. de suis et legit. — 3. Inst. Gaii, III, 9, 11. — 4. L. 5, in pr. D. unde legit. — 5. L. 1, § 2, pen. D. de suis et legit. — 6. L. ult. § 15. D. de gradibus. — 7. Inst. Gaii, I, 156, et III, 10. — 8. L. ult. D. unde legit. — 9. L. 1, § 2, et 4. D. cod. — 10. Inst. Gaii, III, 11. — 11. d. L. 1, § 5. — 12. § fin. infr. de success. cognat. — 13. Inst. Gaii, III, 14, 23. — 14. Pr. tit. seq. et pr. infr. de servili cognatione; L. 3, l. 4. D. unde cognati — 15. Inst. Gaii, III,

nitus eas a successione adgnatorum repellebat: omni alia successione incognita, donec praetores paulatim asperitatem juris civilis corrigentes, sive quod deerat implentes, humano proposito alium ordinem suis edictis addiderunt, et cognationis linea proximitatis nomine introducta per bonorum possessionem eas adjuvabant, et pollicebantur his bonorum possessionem quae unde cognati appellatur¹⁹. Nos vero legem duodecim tabularum sequentes, et ejus vestigia in hac parte conservantes, laudamus quidem praetores saepe humanitatis, non tamen eos in plenum causam mederi invenimus. Quare etenim uno eodemque gradu naturali concurrente, et adgnationis titulis tam in masculis quam in feminis aequa lance constitutis, masculis quidem dabatur ad successionem venire omnium adgnatorum; ex adgnatis autem mulieribus nulli penitus, nisi soli sorori, ad adgnatorum successionem patebat aditus? Ideo in plenum omnia redecentes, et ad jus duodecim tabularum eandem dispositionem exequantes, nostra constitutione²⁰ sanximus: omnes legitimas personas, id est, per virilem sexum descendentes, sive masculini generis sive²¹ feminini sint, simili modo ad jura successionis legitimae ab intestato vocari secundum sui gradus praerogativam; nec ideo excludendas, quia consanguinitatis jura, sicut germanae, non habent. — § 4. Hoc etiam addendum nostrae constitutioni existimavimus, ut transferatur unus tantummodo gradus a jure cognationis in legitimam successionem: ut non solum fratris filius et filia, secundum quod jam definivimus, ad successionem patri²² sui vocentur, sed etiam germana consanguinea vel sororis uterinae filius et filia soli, et non deinceps personae, una cum his ad jura avunculi sui perveniant; et mortuo eo qui patruus quidem est sui fratris filius, avunculus autem sororis suae soboli, simili modo ab utraque latere succedant, tamquam si omnes ex masculis descendentes legitimo jure veniant, scilicet ubi frater et soror superstites non sunt. His etenim personis praecedentibus et successionem admittentibus, ceteri gradus remanent penitus semoti²³, videlicet hereditate non ad stirpes sed in capita dividenda. — § 5. Si plures sint gradus adgnatorum, aperte lex duodecim tabularum²⁴ proximum vocat. Itaque si (verbi gratia) sit defuncti frater et alterius fratris filius, aut patruus, frater potior habetur²⁵. Et quamvis singulari numero usa lex proximum vocet, tamen dubium non est quin, etsi plures sint ejusdem gradus, omnes admittantur²⁶. Nam et proprie proximus ex pluribus gradibus intelligitur; et tamen non dubium est quin, licet unus sit gradus adgnatorum, pertineat ad eos hereditas. — § 6. Proximus autem, si quidem nullo testamento facto quisquam decesserit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is cuius de hereditate quaeritur²⁷. Quod si facto testamento quisquam decesserit, per hoc tempus requiritur, quo certum e se coeperit nullum ex testamento heredem existitum; tunc enim proprie quisque intestato decessisse intelligitur²⁸. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur: in quo spatio temporis saepe accidit, ut proximior mortuo proximus esse incipiat, qui moriente testatore non erat proximus.

§ 7. Placebat autem in eo genere percipiendarum hereditatum successionem non esse: id est, ut quamvis proximus qui, secundum ea qua diximus, vocatur ad hereditatem, aut preverit hereditatem, aut etiam adeat decesserit, nihilo magis legitimo jure sequentes admittantur²⁹. Quod iterum praetores imperfecto jure corrigentes, non in totum sine adminiculo relinquerebant; sed ex cognatorum ordine eos vocabant, ut pote adgnationis jure eis recluso³⁰. Sed nos nihil deesse perfectissimo juri cupientes nostra constitutione, quam de jure patronatus humanitate suggerente pro ulimus, sanximus successionem in adgnatorum hereditatibus non esse eis denegandam; cum satis absurdum erat, quod cognatis a praetore apertum est, hoc adgnatis esse reclusum; maxime cum in onere quidem tutelarum et proximo gradu deficiente sequens succedit, et quod in onere obtinebat, non erat in lucro permissum. — § 8. Ad legitimam successionem nihilominus vocatur³¹ etiam parens qui contracta fiducia filium vel filiam, nepotem vel neptem ex deinceps emancipat. Quod ex nostra constitutione³² omnimodo inducitur, ut emancipationes liberorum semper videantur contracta fiducia fieri; cum apud antiquos non aliter hoc obtinebat, nisi specialiter contracta fiducia parens manumisisset.

TIT. III.

DE SENATUSCONSULTO TERTULLIANO¹.

Lex duodecim tabularum iura stricto jure utebatur, et praeponebat

27. 29. — 46. § 7, supr. de fidei. hered. — 47. N. 118. — 48. Vide tamen pr. tit. seq. — 49. Inst. Gaii, III, 29. — 20. L. pen. et ult. C. de legit. hered. — 21. N. 21, in pr. et 115, c. 5. — 22. L. pen. § 1, C. de legit. hered. — 23. Hoc mutatum N. 118, c. 3. — 24. L. 108, § 1, D. de verb. sign. — 25. Inst. Gaii, III, 11, 15. — 26. L. 2, § 2, D. de suis et legit. — 27. L. 2, § 6, D. cod. — 28. Inst. Gaii, III, 11, 13. — 29. L. 2, in pr. D. cod. — Inst. Gaii, III, 12, 22. — 30. Id. III, 29. — 31. N. 118, c. 2. — 32. L. ult. C. de emancipat.
Trr. III. — 1. Lib. 28, D. 17; Lib. 6, C. 16.

masculorum progeniem; et eos qui per feminini sexus necessitudinem sibi junguntur, adeo² expellebat, ut ne quidem inter matrem et filium filiamve ultra citroque hereditatis capiendae jus daret: nisi quod praetores ex proximitate cognatorum eas personas ad successionem, bonorum possessione unde cognati accommodata, vocabant³.

§ 1. Sed haec juris angustiae postea emendatae sunt⁴. Et primus quidem divus Claudius angustiae ad solutum liberorum amissorum, legitimam eorum detulit hereditatem. — § 2. Postea autem senatusconsulto Tertulliano, quod divi Hadriani temporibus factum est, plenissime de tristi⁵ successione matri, non etiam aviae⁶, deferenda cautum est: ut mater ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumve admittatur intestato mortuorum, licet in potestate parentis est⁷; ut scilicet, cum alieno juri subjecta est, jussu ejus adeat hereditatem, cuius juri subjecta est. — § 3. Praefertur⁸ autem matri, liberi defuncti qui sui sunt, quive suorum loco sunt, sive primi gradus sive ulterioris. Sed et filius suae mortuae filius vel filia opponitur ex constitutionibus matri defunctae, id est aviae suae. Pater quoque utriusque, non etiam avus vel proavus, matri⁹ anteponitur¹⁰, scilicet cum inter eos solos de hereditate agitur. Frater autem consanguineus tam filii quam filiae excludit¹¹ matrem; soror autem consanguinea pariter cum matre admittitur¹². Sed si fuerat frater et soror consanguinei, et mater liberis honorata, frater quidem matrem excludit, communis autem erit ad hereditas ex aequis partibus fratris et sororis. — § 4. Sed nos constitutione, quam in codice nostro nomine decorato posuimus, matri subveniendum esse existimavimus, respicientes ad naturam et puerperium¹³ et periculum et saepe mortem ex hoc casu matribus illatam. Ideoque impium esse credidimus casum fortuitum in ejus admitti detrimentum. Si enim ingenua ter, vel libertina quater non peperit, immerito¹⁴ defraudabatur successione suorum liberorum. Quid enim peccavit, si non plures sed paucos peperit? Et dedimus jus legitimum plenum matribus, sive ingenuis sive libertinis, et si non ter enixa fuerint vel quater, sed cum tantum vel eam qui quaeve morte intercepti sunt; ut et sic vocentur in liberorum suorum legitimam successionem. — § 5. Sed cum antea constitutiones jura legitima successione perscrutantes, partim matrem adjuvabant, partim eam praegravabant, et non in solidum eam vocabant; sed in quibusdam casibus tertiam ei patrem abstrahentes, certis legitimis dabant personis, in aliis autem contrarium faciebant; nobis visum¹⁵ est recta et simplici via matrem omnibus personis legitimis¹⁶ anteponi, et sine ulla deminutione filiorum suorum successionem accipere: excepta fratris et sororis persona, sive consanguinei sint sive sola cognationis jura habentes; ut quemadmodum eam toti alii ordini legitimo praeposimus, ita omnes fratres et sorores, sive legitimi sunt sive non, ad capiendas hereditates simul vocemus: ita tamen ut, si quidem solae sorores adgnatae vel cognatae, et mater defuncti vel defunctae superstit¹⁷, dimidiam quidem mater¹⁸, alteram vero dimidiam partem omnes sorores habeant. Si vero matre superstita et fratre vel fratribus solis, vel etiam cum sororibus sive legitima sive sola cognationis jura habentibus, intestatus quis vel intestata moriatur, in capita distribuatur ejus hereditas. — § 6. Sed quemadmodum nos matribus propinquissimis, ita eas oportet suae soboli consulere: scituris eis quod, si tutores¹⁹ liberis non petierint, vel in locum remoti vel excusati intra annum petere neglexerint, ab eorum impuberum morientium successionem merito repellentur. — § 7. Licet autem vulgo quaesitus²⁰ sit filius filiae, potest tamen ad bona ejus mater ex Tertulliano senatusconsulto admitti

TIT. IV.

DE SENATUSCONSULTO ORPHITIANO¹.

Per contrarium autem, ut liberi² ad bona matrum intestatarum admittantur, senatusconsulto Orphitiano, Orphito et Rufo consulibus, effectum est, quod latum est divi Marci temporibus³; et data est tam filio quam filiae legitima hereditas, etiamsi⁴ alieno juri subjecti sunt, et praefertur consanguineis et adgnatis defunctae matris.

§ 1. Sed cum ex hoc senatusconsulto nepotes ad aviae successionem

2. Immo vide L. 14, in pr. C. de legit. hered. — 3. Inst. Gaii, III, 24, 30. — 4. Id. 25. — 5. L. ult. C. de instit. et substit. — 6. Vide tamen N. 118, c. 2. — 7. L. 12, in pr. C. de collat. — 8. L. 2, § 6, D. de L. 2, C. h. t. — 9. d. L. 2, C. h. t. — 10. L. 2, § 15, D. cod. — 10. Mutatum L. ult. § 1, C. cod. — 11. L. 4, C. cod. — 12. L. 2, § 18, D. cod. — 13. L. ult. § 1, C. qui potiores in figu. — 14. L. ult. C. de jure liberorum. — 15. L. ult. C. h. t. — 16. Infr. de success. cognat. in pr. — 17. L. ult. in pr. C. h. t. — 18. Hoc mutatum N. 22, c. 47, in fin. Novell. 118, c. 2. — 19. L. 2, § 1, D. qui petant tut. — 20. L. 2, D. unde cognati; L. 2, § 1, D. h. t.

Trr. IV. — 1. Lib. 58, D. 17; Lib. 6, C. 17. — 2. L. 1, in pr. D. ad SC. Tertull. L. 1, C. h. t. — 3. Fulgo: per contrarium autem liberi... admittuntur ex senatusconsulto quod factum est

legitimo jure non vocabantur, postea hoc constitutionibus principalibus emendatum est, ut ad similitudinem filiorum filiarumque et nepotes et neptes vocentur. — § 2. Sciendum autem est, hujusmodi successiones quae a Tertulliano et Orphitiano deferuntur, capitis deminutione non perimi, propter illam regulam qua novae hereditates legitimae capitis deminutione non pereunt, sed illae solae quae ex lege duodecim tabularum deferuntur. — § 3. Novissime sciendum est, etiam illos liberos qui vulgo quaesiti sunt⁶, ad matris hereditatem ex hoc senatusconsulto admitti⁷. — § 4. Si⁸ ex pluribus legitimis heredibus quidam omiserint hereditatem, vel morte⁹ vel alia causa impediti fuerint quominus adeant, reliquis qui adierint, aderescit illorum portio; et licet ante decesserint qui adierint¹⁰, ad heredes tamen eorum pertinet.

TIT. V.

DE SUCCESSIONE COGNATORUM.

Post suos heredes, eosque quos inter suos heredes praetor et constitutiones vocant; et post legitimos (quorum numero sunt adgnati, et hi quos in locum adgnatorum tam supra dicta senatusconsulta quam nostra exeret¹ constitutio) proximos cognatos praetor vocat.

§ 1. Qua parte naturalis cognatio spectatur; nam adgnati capite deminuti, quique ex his progeniti sunt, ex lege duodecim tabularum inter legitimos non habentur, sed a praetore tertio ordine vocantur². Exceptis solis tantummodo fratre et sorore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos lex Anastasiana³ cum fratribus integri juris constitutus vocat quidem ad legitimam fratris hereditatem, sive sororis; non aequis tamen partibus, sed cum aliqua deminutione quam facile est ex ipsius constitutionis verbis colligere. Aliis vero adgnatis inferioris gradus, licet capitis deminutionem passi non sunt, tamen eos anteponi, et procul dubio cognatis. — § 2. Hos etiam qui per feminini sexus personas ex transverso cognatione junguntur, tertio gradu proximitatis nomine praetor ad successionem vocat⁴. — § 3. Liberi quoque⁵ qui in adoptiva familia sunt, ad naturalium parentum hereditatem hoc eodem gradu vocantur⁶. — § 4. Vulgo quaesitos⁷ nullum habere adgnatum manifestum est; cum adgnatio a patre, cognatio a matre sit: hi autem nullum patrem habere intelliguntur. Eadem ratione ne inter se quidem possunt videri consanguinei esse, quia consanguinitatis jus species est adgnationis⁸. Tantum igitur cognati sunt sibi, sicut ex matre cognati. Itaque omnibus istis ea parte competit bonorum possessio, qua proximitatis nomine cognati vocantur. — § 5. Hoc loco et illud necessario admonendi sumus, adgnationis quidem jure admitti aliquem ad hereditatem, etsi decimo⁹ gradu sit, sive de lege duodecim tabularum queramus, sive de edicto quo praetor legitimis heredibus daturum se bonorum possessionem pollicetur. Proximitatis vero nomine iis solis praetor promittit bonorum possessionem, qui usque ad sextum¹⁰ gradum cognationis sunt; et ex septimo, a sobrino sobrinaque nato nateve.

TIT. VI.

DE GRADIBUS COGNATIONIS¹.

Hoc loco necessarium² est exponere quemadmodum gradus cognationis numerentur. Quare in primis admonendi sumus cognationem³ aliam supra numerari, aliam infra, aliam ex transverso, quae etiam a latere dicitur. Superior cognatio est parentium: inferior, liberorum: ex transverso, fratrum sororumque: eorumque qui quaeve ex his progenerantur; et convenienter patruus, amita, avunculi, matertera. Et superior quidem et inferior cognatio a primo gradu incipit; at ea quae ex transverso numeratur, a secundo.

§ 1. Primo gradu est supra pater, mater: infra filius, filia⁴. — § 2. Secundo supra avus, avia: infra nepos, neptis; ex transverso frater, soror⁵. — § 3. Tertio supra proavus, proavia; infra pronepos, proneptis: ex transverso fratris sororisque filius, filia; et convenienter patruus, amita, avunculus, matertera⁶. Patruus est frater patris, qui

divi Marci temporibus. — 4. L. 9, D. ad SC. Tertull. — 5. L. 1, § 8, D. cod. — 6. L. 1, § 2, D. cod. — 7. L. 3, C. ad SC. Orphit. — 8. L. 9, D. de suis et legit. — 9. L. un. C. de cod. test. — 10. Fulgo: et licet ante decesserint ad heredes, etc.
Trr. V. — 1. L. pen. C. de legit. hered. — 2. Inst. Gaii, III, 27. — 3. L. 4, C. de legit. tut. L. ult. § 1, C. de legit. hered. — 4. Inst. Gaii, III, 24, 30. — 5. L. 1, § 4, D. unde cognati. — 6. Inst. Gaii, III, 31. — 7. L. 2, D. cod.; L. 4, § 8, D. de gradib. et affin. — 8. Inst. Gaii, I, 64. — 9. § 3, in pr. supr. de legit. adgnat. success. § 1, circa fin. infr. de servili cognat. L. 2, § 1, D. de suis et legit. — 10. L. 1, § 6, D. unde cognati. N. 118, c. 4.
Trr. VI. — 1. Lib. 38, D. 10. — 2. L. 10, in pr. D. de grad. et affin. — 3. L. 1, D. cod. — 4. L. 10, § 12, D. cod. — 5. d. L. 10, § 15. — 6. d. L. 10, § 14.

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L

græce πατρός vocatur. Avunculus est frater matris, qui apud Græcos proprie μητρός et promiscue θετός dicitur. Amita est patris soror; matertera vero, matris soror: utraque θεία, vel apud quosdam τεία appellatur. — § 4. Quarto gradu supra abavus, abavia: infra abnepos, abneptis: ex transverso fratris sororisque nepos, neptis; et convenienter patruus magnus, amita magna, id est, avi frater et soror; item avunculus magnus et matertera magna, id est, aviæ frater et soror; consobrinus, consobrina, id est, qui quæve ex fratribus aut sororibus progenerantur. Sed quidem recte consobrinus eos proprie dici putant, qui ex duobus sororibus progenerantur, quasi consobrinos; eos vero qui ex duobus fratribus progenerantur, proprie fratres patruales vocari: si autem ex duobus fratribus filie nascuntur, sorores patruales appellari; at eos qui ex fratre et sorore propagantur, amittinos proprie dici. Amita tuæ filii consobrinum te appellant, tu illos amittinos. — § 5. Quinto supra atavus, atavia: infra adnepos, adneptis: ex transverso fratris sororisque pronepos, proneptis; et convenienter propatruus, proamita, id est, proavi frater et soror; proavunculus, promatertera, id est, proaviæ frater et soror. Item fratris patruelis, sororis patruelis, consobrini, consobrina, amittini, amittine filius, filia; propior sobrino, propius sobrina. Hi sunt patrum magni, amita magna, avunculi magni, matertere magna filius, filia. — § 6. Sexto gradu supra tritavus, tritavia: infra trinepos, trineptis: ex transverso fratris sororisque abnepos, abneptis; et convenienter abpatruus, abamita, id est, abavi frater et soror; abavunculus, abmatertera, id est, abaviæ frater et soror. Item sobrini sobrinaque, id est, qui quæve ex fratribus vel sororibus patruelibus vel consobrinis vel amittinis progenerantur. — § 7. Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum superiores quoque gradus numerare debeamus; quippe semper generata quæque persona gradum, adiciat, ut longe facilius sit respondere quoto quisque gradu sit, quam propria cognationis appellatione quemquam denotare. — § 8. Adgnationis quoque gradus eodem modo numerantur. — § 9. Sed cum magis veritas oculata fide quam per aures animis hominum infigitur, ideo necessarium duximus post narrationem graduum etiam eos præsentibus libris inscribi, quatenus possint et auribus et oculorum inspectione adolescentibus perfectissimam graduum doctrinam adipisci. — § 10. Illud certum est, ad serviles cognationes illam partem edicti, qua proximitatis nomine bonorum possessio promittitur, non pertinere; nam nec ulla antiqua lege talis cognatio computabatur. Sed nostra constitutione, quam pro jure patronatus fecimus (quod jus usque ad nostra tempora satis obscurum atque nube plenum et undique confusum fuerat) et hoc humanitate suggerente concessimus ut, si quis in servili sortio constitutus liberum vel liberum habuerit, sive ex libera, sive ex servili conditione muliere, vel contra servam mulierem ex libero vel servo habuerit liberum cuiuscumque sexus; et ad libertatem his pervenientibus, et ii qui ex servili ventre nati sunt, libertatem meruerint; vel, dum mulieres liberæ erant, ipsi in servitute eos habuerint, et postea ad libertatem pervenerint: ut hi omnes ad successionem patris vel matris veniant, patronatus jure in hac parte sposito. Hæc enim liberos non solum in suorum parentum successionem, sed etiam alterum in alterius mutam successionem vocavimus: ex illa lege specialiter eos vocantes, sive soli inveniantur qui in servitute nati et postea manumissi sunt, sive una cum aliis qui post libertatem parentum concepti sunt, sive ex eodem patre vel ex eadem matre, sive ex aliis, ad similitudinem eorum qui ex justis nuptiis procreati sunt.

§ 11. Repetitio itaque omnibus quæ jam tradidimus, apparet non semper eos qui parem gradum cognationis obtinent, pariter vocari; eoque amplius ne eum quidem qui proximior sit cognatus, semper potiorum esse. Cum enim prima causa sit suorum heredum, et eorum quosque inter suos heredes jam enumeravimus, apparet pronepotem vel adnepotem defuncti potiorum esse, quam fratrem aut patrem matremque defuncti: cum alioquin pater quidem et mater (ut supra quoque tradidimus) primum gradum cognationis obtineant, frater vero secundum; pronepos autem tertio gradu sit cognatus, et abnepos quarto. Nec interest in potestate morientis fuerit, an non, quod vel emancipatus vel ex emancipato, aut feminino sexu propagatus est. — § 12. Amotis quoque suis heredibus, et quos inter suos heredes vocari diximus, adgnatus qui integrum jus adgnationis habet, etiam longissimo gradu sit, plerumque potior habetur quam proximior cognatus. Nam patrum nepos vel pronepos avunculo vel materteræ præfertur. Totiens igitur dicimus, aut potiorum

7. d. l. 10, § 15. — 8. d. l. 10, § 16. — 9. d. l. 10, § 17. — 10. Adde § 15, d. l. 10, et l. 4, in pr. D. eod. — 11. § 3, supr. de legit. adgnat. success. — 12. Vide tamen § 10, supr. de nupt. adde l. 1, § 2, D. unde cognati, l. 10, § 2, D. de gradib. et affin. — 13. l. 4, C. de bonis libert. — 14. Abrogata l. 7, D. unde cognati; l. 6, C. de suis et legit. — 15. l. 3, C. de test. et inutilibus nuptiis. — 16. Inst. Gaii III, 27, 29.

haberi eum qui proximiorum gradum cognationis obtinet, aut pariter vocari eos qui cognati sunt, quotiens neque suorum heredum jure, quique inter suos heredes sunt, neque adgnationis jure aliquis præferri debeat secundum ea quæ tradidimus: exceptis fratre et sorore emancipatis, qui ad successionem fratrum vel sororum vocantur; qui et si capite diminuti sunt, tamen præferuntur ceteris ulterioris gradus adgnatis.

TIT. VII.

DE SUCCESSIONE LIBERTORUM.

Nunc de libertorum bonis videamus. Olim itaque licet liberti patronum suum impune testamentum præterire; nam ita demum lex duodecim tabularum ad hereditatem liberti vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus nullo suo herede relicto. Itaque intestato quoque mortuo liberto, si is suum heredem reliquisset, patrono nihil in bonis ejus juris erat. Et si quidem ex naturalibus liberis aliquem suum heredem reliquisset, nulla videbatur querela; si vero adoptivus filius fuisset, aperte iniquum erat nihil juris patrono suppresso.

§ 1. Qua de causa, postea prætoris edicto hæc juris iniquitas emendata est. Sive enim faciebat testamentum libertus, jubebatur ita testari ut patrono partem dimidiam bonorum suorum relinqueret; et si aut nihil aut minus parte dimidia reliquerat, dabatur patrono contra tabulas testamenti partis dimidia bonorum possessio. Sive intestatus moriebatur, suo herede relicto filio adoptivo, dabatur æque patrono contra hunc suum heredem partis dimidia bonorum possessio. Prodesse autem liberti solent ad excludendum patronum naturales liberi, non solum quos in potestate mortis tempore habebat, sed etiam emancipati et in adoptionem dati: si modo ex aliqua parte scripti heredes erant, aut præteriti contra tabulas bonorum possessionem ex edicto petierant; nam exhereditati nullo modo repellabant patronum. — § 2. Postea lege Papia adacta sunt jura patronorum qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim ut ex bonis ejus qui sestertium centum millium patrimonium reliquerat, et pauciores quam tres liberos habebat, sive in testamento facto, sive intestato mortuus erat, virilis pars patrono deberetur. Itaque, cum unum quidem filium filiamve heredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia debebatur patrono, ac si is sine ullo filio filiaque testatus decessisset: cum vero duos duasse heredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono: si tres reliquerat, repellebatur patronus. — § 3. Sed nostra constitutio, quam pro omnium notione græca lingua compendioso tractatu habito composuimus, ita hujusmodi causas definiit: ut, si quidem libertus vel libera minores centenariis sint, id est, minus centum aureis habeant substantiam (sic enim legis Papiæ summam interpretati sumus, ut pro mille sestertiis unus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorum successionem, si tamen testamentum fecerint. Sin autem intestati decesserint nullo liberorum relicto, tunc patronatus jus (quod erat ex lege duodecim tabularum) integrum reservavit. Cum vero majores centenariis sint, si heredes vel bonorum possessores liberos habeant, sive unum sive plures cuiuscumque sexus vel gradus, ad eos successionem parentum deduximus, patronis omnibus una cum sua progenie semotis. Sin autem sine liberis decesserint, si quidem intestati, ad omnem hereditatem patronos patronasque vocavimus. Si vero testamentum quidem fecerint, patronos autem vel patronas præterierint, cum nullo liberis haberent, vel habentes eos exheredaverint, vel mater sive avus maternus eos præterierint, ita ut non possint argui infliciosa eorum testamenta: tunc ex nostra constitutione per bonorum possessionem contra tabulas, non dimidiam (ut antea) sed tertiam partem bonorum liberti consequantur; vel quod deest eis ex constitutione nostra repleatur, si quando minus tercia parte bonorum suorum libertus vel libera eis reliquerit: ita sine onere, ut nec liberis liberti libertæve ex ea parte legata vel fideicommissa præstentur, sed ad coheredes hoc onus redundaret; multis aliis casibus a nobis in præfata constitutione congregatis quos necessarios esse ad hujusmodi juris dispositionem perspeximus, ut tam patroni patronasque quam liberi eorum, nec non qui ex transverso latere veniunt usque ad quintum gradum, ad successionem libertorum vocentur, sicut ex ea constitutione intelligendum est. Ut si ejusdem patroni vel patronæ, vel duorum duarumve pluriumve liberi sint, qui proximior est, ad liberti seu libertæ vocetur successio; et in capita, non in stirpes, dividatur successio: eodem modo et in iis qui ex transverso latere ve-

TIT. VII. — 1. l. ib. 38, D. s. l. 6, C. 4. — 2. l. 17, D. de bonis libert. — 3. Inst. Gaii, III, 39, 40. — 4. l. 1, § fin. D. eod. — 5. l. 3, in pr. D. de suis et legit. — 6. Inst. Gaii, III, 41. — 7. l. 1, § pro. D. si cui plus quam per legem fidei. — 8. Inst. Gaii, III, 42. — 9. l. 4, C. de bonis libert. — 10. l. 16, D. de jure patronat; l. 26, D. de bonis libert. — 11. Vulgo: patronis omnibus mortuis una, etc. — 12. Inst. Gaii, III, 61.

niunt, servando. Pene enim consonantia jura ingenuitatis et libertinitatis in successionebus fecimus. — § 4. Sed hæc de iis libertinis hodie dicenda sunt, qui in civitatem romanam pervenerunt, cum nec sunt alii liberti, simul et dedititii et latinis sublati: cum latinorum legitimæ successiones nullæ penitus erant, qui licet ut liberi vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amittentibus, et quasi servorum ita bona eorum jure quodammodo peculii ex lege Junia manumissores detinebant. Postea vero senatusconsulto Largiano cautum fuerat, ut liberi manumissoris non nominatim exhereditati facti extraneis heredibus eorum in bonis latinorum præporentur. Quibus supervenit etiam divi Trajani edictum, quod eundem hominem, si invito vel ignorante patrono ad civitatem venire ex beneficio principis festinabat, faciebat quidem vivum civem romanum, latinum vero morientem. — Sed nostra constitutio, propter hujusmodi conditionum vices et alias difficultates, cum ipsis latinis etiam legem Juniam et senatusconsultum Largianum et edictum divi Trajani in perpetuum deleri censuimus, ut omnes liberti civitate romana fruantur; et mirabili modo quibusdam adjectionibus ipsas vias quæ in latinitatem ducebant, ad civitatem romanam capiendam transposuimus.

TIT. VIII.

DE ASSIGNATIONE LIBERTORUM.

In summa, quod ad bona libertorum, admonendi sumus censuisse senatum, et quamvis ad omnes patroni liberos qui ejusdem gradus sunt, æqualiter bona libertorum pertineant, tamen licere parenti uni ex liberis assignare libertum, ut post mortem ejus solus is patronus habeatur cui assignatus est; et ceteri liberi qui ipsi quoque ad eadem bona, nulla assignatione interveniente, pariter admitterentur, nihil juris in iis bonis habeant. Sed ita demum pristinum jus recipiunt, si is cui assignatus est, decesserit nullis liberis relicto.

§ 1. Nec tantum libertum, sed etiam libertam; et non tantum filio nepotivæ, sed etiam filia neptivæ assignare permittitur. — § 2. Datur autem hæc assignandi facultas ei qui duos pluresve liberos in potestate habeat, ut eis quos in potestate habet, assignare ei libertum libertamve liceat. Unde quærebatur, si eum cui assignaverit postea emancipaverit, num evanescat assignatio? Sed placuit evanescere, quod et Juliano et aliis plerisque visum est. — § 3. Nec interest testamento quis assignet, an sine testamento; sed etiam quibuscumque verbis patronis hoc permittitur facere ex ipso senatusconsulto, quod Claudianis temporibus factum est Suii o Rufi et Osterio Scapula consulibus.

TIT. IX.

DE BONORUM POSSESSIONIBUS.

Jus bonorum possessionis introductum est a prætore, emendandi veteris juris gratia. Nec solum in intestatorum hereditatibus vetus jus eo modo prætor emendavit, sicut supra dictum est, sed in eorum quoque qui testamento facto decesserint. Nam si alienus, postumus heres fuerit institutus, quamvis hereditatem jure civili adire non poterat, cum institutio non valebat, honorario tamen jure bonorum possessor efficiebatur, videlicet cum a prætore adjuvabatur. Sed et in nostra constitutione hodie recte heres instituitur, quasi et jure civili non incognitus.

§ 1. Aliquando tamen neque emendandi neque impugnandi veteris juris, sed magis confirmandi gratia, pollicetur bonorum possessionem. Nam illis quoque, qui recte facto testamento heredes instituti sunt, dat secundum tabulas bonorum possessionem. Item ab intestato suos heredes et adgnatos ad bonorum possessionem vocat; sed et remota quoque bonorum possessione, ad eos pertinet hereditas jure civili. — § 2. Quos autem prætor solus vocat ad hereditatem, heredes quidem ipso jure non fiunt; nam prætor heredem facere non potest. Per legem enim tantum vel similem juris constitutionem heredes fiunt, veluti per senatusconsultum et constitutiones principales; sed cum eis prætor dat bonorum possessionem, loco hereditatis constituuntur et vocantur bonorum possessores. Adhuc autem et alios

13. Adde N. 78, c. 5. — 14. C. de Latina et dedititia libert. tollend. — 15. Supr. tit. de libertinis, § 3. — 16. N. 78. — 17. Inst. Gaii, III, 65, 64. — 18. L. un. C. de Latina libert. toll. — 19. Inst. Gaii, III, 56, 64, 72, 75. — 20. d. Nov. 78. — 21. Inst. Gaii, III, 58, D. 4. — 22. l. 1, D. h. l. — 23. § 5, in fin. supr. tit. proe. — 24. Vulgo: cepisse senatum, ut quamvis, tamen latere parenti, etc. — 5. l. 107, D. de verb. sign. — 6. l. 30, § ult. D. qui et a quib. manum. — 7. Vide tamen l. 9, D. h. l. — 8. l. 1, § 2, l. 7, l. 15, in pr. D. eod. — 9. l. 1, in pr. D. h. l.

complures gradus prætor fecit in bonorum possessionibus dandis; dum id agebat ne quis sine successore moretur. Nam angustissimis finibus constitutum per legem duodecim tabularum jus percipiendarum hereditatum prætor ex bono et æquo dilatavit. — § 3. Sunt autem bonorum possessiones ex testamento quidem hæc: prima, quæ præteritis liberis datur, vocaturque contra tabulas; secunda, quam omnibus jure scriptis heredibus prætor pollicetur, ideoque vocatur secundum tabulas. Et cum de testamentis prius locutus est, ad intestatos transitum fecit. Et primo loco suis heredibus, et iis qui ex edicto prætoris inter suos connumerantur, dat bonorum possessionem quæ vocatur unde liberi; secundo, legitimis heredibus; tertio, decem personis quas extraneo manumissori præferebat. Sunt autem decem personæ hæc: pater mater, avus avia, tam paterni quam materni; item filius filia, nepos neptis, tam ex filio quam ex filia; frater soror; sive consanguinei sive uterini. Quarto, cognatis proximis; quinto, tum quem ex familia; sexto, patrono et patronæ, liberisque eorum et parentibus; septimo, viro et uxori; octavo, cognatis manumissoris. — § 4. Sed eas quidem prætor introduxit jurisdictio: a nobis tamen nihil incuriosum prætermissum est; sed nostris constitutionibus omnia corrigentes, contra tabulas quidem et secundum tabulas bonorum possessiones admisimus, ut pote necessarias constitutas; nec non ab intestato unde liberi et unde legitimi bonorum possessiones. Quæ autem in prætoris edicto quinto loco posita fuerat, id est unde decem personæ, eam pio proposito et compendioso sermone supervacuum ostendimus. Cum enim præfata bonorum possessio decem personas præponebat extraneo manumissori, nostra constitutio quæ de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus eisdemque manumissoris contracta fiducia manumissionem facere dedit, ut ipsa manumissio eorum hoc in se habeat privilegium, et supervacua fiat supradicta bonorum possessio. Sublata igitur præfata quinta bonorum possessione, in gradum ejus sextam antea bonorum possessionem induximus, et quintam fecimus, quam prætor proximis cognatis pollicetur. — § 5. Cumque antea fuerat septimo loco bonorum possessio tum quem ex familia, et octavo unde liberi patroni patronæque et parentes eorum, utramque per constitutionem nostram quam de jure patronatus fecimus, penitus vacuumus. Cum enim ad similitudinem successionis ingenuorum, libertinorum successiones posuimus, quæ usque ad quintum tantummodo gradum coarctavimus, ut sit aliqua inter ingenuos et libertinos differentia, sufficit eis tam contra tabulas bonorum possessio quam unde legitimi et unde cognati, ex quibus possunt: sua jura vindicare: omni scrupulositate et inextricabili errore istarum duarum bonorum possessionum resoruto. — § 6. Aliam vero bonorum possessionem quæ unde vir et uxor appellatur, et non loco inter veteres bonorum possessiones posita fuerat, et in suo vigore servavimus, et altiore loco, id est sexto eam posuimus: decima veteri bonorum possessione, quæ erat unde cognati manumissoris, propter causas enarratas merito sublata, ut sex tantummodo bonorum possessiones ordinari permanerent, suo vigore pollentes. — § 7. Septima eas secuta, quam optima ratione prætores introduxerunt. Novissime enim promittitur edicto iis etiam bonorum possessio, quibus ut detur, lege vel senatusconsulto vel constitutione comprehensum est. Quam neque bonorum possessionibus quæ ab intestato veniunt, neque iis quæ ex testamento sunt, prætor stabil jure connumeravit; sed quasi ultimum et extraordinarium auxilium, prout res exegit, accommodavit, scilicet iis qui ex legibus, senatusconsultis, constitutionibusve principum ex novo jure, vel ex testamento vel ab intestato veniunt. — § 8. Cum igitur plures species successionum prætor introduxisset, easque per ordinem disposuisset, et in unaquaque specie successionis sæpe plures extent dispari gradu personæ; ne actiones creditorum differrentur, sed haberent quos convenirent; et ne facile in possessionem bonorum defuncti mitterentur, et eo modo sibi consulenter, ideo petenda bonorum possessioni certum tempus præfinit. Liberis itaque et parentibus tam naturalibus quam adoptivis in petenda bonorum possessione æquum spatium, ceteris, centum dierum dedit. — § 9. Et si intra hoc tempus aliquis bonorum possessionem non petierit, ejusdem gradus personis adrescit; vel si nemo sit deinceps ceteris bonorum possessionem perinde ex successorio edicto pollicetur, ac si is qui præcedebat ex eo numero non esset. Si quis itaque delatam sibi bonorum possessionem repudiaverit, non quousque tempus bonorum possessioni præfinitum excesserit, expectatur; sed statim ceteri ex eodem

TIT. IX. — 1. Lib. 37, D. 1. — 2. Inst. Gaii, II, 245. — 3. Inst. Gaii, III, 54. — 4. Inst. Gaii, III, 57, 55. — 5. L. 6, § 1, D. h. l. — 6. Inst. Gaii, III, 18, 25. — 7. Inst. Gaii, III, 27, 29, 31, 41. — 8. L. ult. C. de emancipat. — 9. § 3, in fin. supr. de success. liberti. — 10. L. 3, in fin. D. de heredit. petiti. L. un. in pr. D. ut et legibus. — 11. L. 1, in pr. D. de success. edicto. — 12. L. 69, in fin. D. de acquir. vel omit. heredit. — 13. L. 1, § 15, D. de successor. edicto. — 14. L. un. C. quando non potest. part. petent. accreac. — 15. L. 15, in pr. D. de acquir. vel omit. hered.